

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Caini Et Abelis, Notis Criticis, Philologicis, Historicis Et Theologicis Illustrata[e]\$nElektronische Ressource

**Fecht, Johann
Fecht, Gustav Friedrich**

Rostochi, 1704

VD18 10451528-001

§. VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-41839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-41839)

quasi nullum tracturus esse videretur. Si quid verifimilius à quoquam proferri poterit, eundem avidissime amplexabimur, nec surripiemus inventi gloriam.

§. VI. Ad v. 3. *Ut offerret Cain.*) Quærit *Ben. Pererius* h. l. unde sciverint hi fratres in exordio mundi sacrificia offerre Deo? Respondet, potuisse hoc eos docere Adamum & potuisse etiam nullo docente ex tacito quodam naturæ instinctu cognitum habere. Hanc enim ostendere, DEUM esse ab homine omni cultu tam interiori quam exteriori colendum. Sicut autem, qui civili majestati subjecti sint, munera offerant dominis suis, tanquam argumenta subjectionis suæ; ita idem fieri debere ab homine erga Deum, ex ejusdem rationis dictato patescere. Libentissime hoc defendunt Romanæ partis affectuæ, ut sacrificia, tanquam jure naturæ subnixæ, in N. quocumque T. nominatim id sacrificium, quod Missaticum vocant, superesse necessario debere obtineant. Discernenda ante omnia sunt sacrificia eucharistica à propitiatoriis. In his naturæ nihil omnino negotii est, cum Deum animalium sanguine coli, eorumque mactatione hominibus conciliari, non tantum nullo naturæ aut rationis argumento constet, sed rationi omni etiam adversetur. Quæ enim connexio inter bestiarum mortem est & iræ Divinæ, peccatis accensæ, propitiationem? Cum nec illam Deus unquam requisivisset, nisi præfigurari illa Christi mortem, iram DEI placantem, voluisset. Quod ad eucharistica spectat, non absurdum aut inconveniens rationi est, dona Deo offerri, animum gratum DEO testantia, quanquam his non indigeat Deus. Credibile tamen non est & his DEUM colere voluisse primos illos mundi incolas sine Divinæ voluntatis exploratione.

ratione, quam quotidie in familiari cum Deo conversatione cognoscere poterant, ne colerent herum suum ex suo potius arbitrio, quam Dei nutu. Cumque nulla mundi ætate coli Deus salutariter extra Christum potuerit, Act. IV. 12. X. 43. XV. 11. Abel quoque fide in Christum sacrificium suum obtulerit, Ebr. XI. 4. fides verò non oriatur, nisi per verbum, Rom. X. 17. Ebr. XI. 1 fieri non potuit, quin sacrificantes verbo Divino tum de ipso sacrificio, tum de præfiguratione Christi, tum denique de fiducia in hunc unice ponenda fuerint à Deo informati.

§. VII. Ad v. eund. *Sacrificium.*) R. *Sal Ben Melech* specimen eruditionis suæ Grammaticæ editurus probat, vocem מנחה non ab alia radice, quam à מנח provenire posse, quia pluraliter legatur מנחות cum Scheva, similes verò voces, utpote שמרה / שפחה à similibus quoque radicibus descendant. Quod si radix ipsius נחה foret adeoque מ ab initio vocem auferet, æquum foret, ut pluraliter מנחות legeretur, מ scilicet cum Chirek, sicut in simili מצות dicitur; aut certe מנחות, sicut à נחה, מרות legimus.

§. VIII. Ad v. eund. *A fine dierum.*) Ex omnibus reliquis sententiis illa mihi tanquam verisimilior placet, quæ finem dierum anni, h. e. finem civilis anni intelligit. Hoc enim nempe mense Septembri fructuum terræ rationem in offerendo habitam fuisse, verustissimi Talmudistarum historici tradunt. Consule Buxtorfium in Synagoga. Tum enim poterant fructus omnium pulcerrimi ipsaque novitate sua delectabiles Deo incultum suum separari. Atque eo ipso ex verbis Mosaicis: *Et obtulit Cain ex fructu telluris, Caini avaritia &*

C

hypo.